



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 21. Polydamas alter Samson, quomodo oppressus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

quam contra naturam, aut naturæ authorem conqueri potest, si cui statura ingens, aut virium negata est magnitudo, cum nulli negatum sit, quod maius est, virtutem possidere.

§. XXI.

Polydamas alter Samson quo modo appressus?

Deniq; , ne illi etiam ipsi, quibus à Deo datus est membrorum valör, existiment se omnia posse, atq; vt inde etiam ceteri minorum gentium homuli multò magis suã agnoscatit imbecillitatem, declarat diuina sapientia, etiam illas ipsas exoticas mortalium vires, alio fine dätas, multis esse in exitum, quia sunt in præsumptionem. Sicut enim vino, auro, ingenio, alijsque à Deo donis acceptis, ita & viribus corporis abutuntur. Fit igitur erga eos iustissimè fœterus, erga quos ingratos fuit munificus. Polydamantem athletam Græcorum monumentis proditum est, velut Samsonem aliquë, inermi manu, in Olympo monte, insolitæ magnitudinis leonem confecisse. Memorant eundem etiam in armenta bouum intrasse, & inibi taurum magnitudine insignem altero posteriorū pedum arripuisse, ferocientemque, & præ-
rabido

Calius
l. 7. c. 56.

rabido impetu proflientem, non dimisisse prius, quàm in eius manu vngulam reliquerit. Scribitur etiam quadrigas tota vi concitatas constantissimè retinuisse. Qua fortitudinis fama permotus rex Darius, Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eò cùm venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos, qui vnà ex prouocatione arma susceperant in aduersum, solus contrucidauit. Cui inusitato robori confidens, dum fortè fortuna, cum aliquot alijs in spelunca recumberet ad mensam, conuulsusque supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit, fore sperans, vt saxum decidens facilè sustineret, quo tamen oppressus est. Hæc Cælius recenset, de Polydamante, qui Samsonis æmulator veriùs, quàm imitator fuit; ille enim, ruinam in caput suum excitans vicit; iste victus est, dum ruinam voluit prohibere: sed sunt multi tales temeritate, non virtute Atlantes; qui in humeros suscipiunt, quod ferre non possunt, audacia sua opprimendi. His cælestis vindex, qui *superbis resistit*, plagam post plagam infert, & vires vnà cum vita aufert, Lucu.

Iob, 16. 15. luculenter demonstrans, se omnibus gigantibus, gigantem esse validiorem; vt talis dicere cogatur: *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas*; ille nimirum, qui gigantum omnium est fortissimus; & non tantum in minimis maximus, sed etiam maximis omnibus maior esse cognoscitur, quando vel in fortibus, vel in magnis rebus cognoscitur. Vt sunt etiam Balanæ, Orcaë, aliaque monstra marina, quorum quædam dicuntur in oculorum peripheria sedecim vel viginti pedes continere; quæ cum tam magna sint, tamen ab homine domantur & capiuntur. Vnde intelligitur, non modò quàm magni sint, quibus dictum est: *dominamini piscibus maris*, sed etiam multo que magis ille, qui est

Conrad.
Lycosthen. in
chronico
Chronicor. l. 2.
De Prodigijs.

Gen. 1. 28.
Coloss. 1.
16.

Dominus vniuersorum, in quo condita sunt vniuersa, in calis & in terra.



CAPVT.